

6497^a Peltrengi [septimo a Novaria lapide occidentem versus] rep., nunc Novariae in S. Gaudentii.

DIANAE · ET
MATR
L/VETIDIC/

Contuli; post aliquot annos cum recognoscebam, v. 2 fere, v. 3 totus perierant. Panigone ms. n. 50; Racca p. 81.

6498 Fuit Mosezzi in ecclesia campestri PANIG. RACCA. Antea Orfengi [pars est Borgo-Vercelli], inde cura Iosephi Bazzetta canonici Novariensis translata Novariam in S. Gaudentii FRASCONI. Ibidem adhuc.

D · M
Q · MANLI · LVCRIONIS
MANLIA CANDIDA
ALVMNO

Contuli. Frasconi cl. 2 n. 29; Panigone n. 53; Racca p. 81.

6499 ara magna. *Trasportata da S. Pietro di Mosezzo a Novara nella lavandaria delle MM. Cappuccine* SCHEDULA ANONYMI INTER PANIGONIANA. Inde a. 1814 venit in canonicam FRASCONI.

D M
M · VALERI · VINICIANI
QVI · VIXIT · ANN · XX · VIII · MEN · III
DIES · VIII · LOLLIA · MARCELLA
MATER · F · DVLCISS · P

Contuli. Anonymus ad Panigonium, cui descripta filia illius; Frasconi cl. 1 n. 23; Racca p. 32.

6500 prope Vicolongo in ecclesia Plebis.

C · GAVS
COMO
/ / \ /
/ / / /

Bruzza p. 152.

6501 Vicolongo rep. *presso all' antica Pieve*, nunc ibi in area ante aedes Gaudentii Mambrini.

M V
C M A C C O N
PRISCINVS

Bruzza Vercell. p. 11 n. 9.

LXXII. NOVARIA (Novara). Tribu Claudia.

I. CYRIACI Novariensis supersunt in commentariis editis p. 40. 42, item apud Liliam f. 18. 19 et apud Iucundum f. 160, denique dimidiata et perturbata in codice Mutinensi Siederi f. 67; reliquis qui Cyriacana explaverunt horum copia non fuit. Descripta sunt satis accurate versibus quoque in commentariis editis recte divis. — Titulus n. 6522, quem Lilius habet extremo loco habentque item codices duo Riccardianus 996 et Ottobonianus 2967, utrum veniat a Cyriaco an aliunde, non constat.

II. De Gaudentio MERULA Borgolavezzarensi supra diximus p. 627. Huc maxime pertinet eius 'Terentianus dialogus ultra omnem festivitatem urbanissimus' editus Fori Lebetiorum, id est Borgolavezzari, a. 1543. 8., unde excerpta cum Gruterus habuisset a Velsero, sub huius nomine apud illum referuntur. Schedae Merulae, quas vidi Taurinis (p. 628), pauca dederunt; pleniores habuit Cantoni (p. 629), qui etiam quae Gruterus misit Curegii descripta, fortasse inter Merulana repperit. — Merula quamquam praeterea a fraude fere abstinuit, negari non potest patriae suae Borgolavezzaro ad antiquitatem eius amplificandam duos titulos (n. 693*) eum Tusculanum alterum, alterum Campanum mendacio suo attribuisse.

III. Paulus GALLERATUS iuris consultus Novariensis († 1629) ad Caroli a Basilica Petri sive Bescapè librum inscriptum 'Novaria seu de ecclesia Novariensi libri duo' addidit commentarium 'antiqua Novariensium monumenta collecta ac divulgata nunc primum' (Novariae 1612. 4), monens in praefatione se has inscriptiones collegisse una cum Innocentio ab Ecclesia clerico regulari S. Pauli, de quo supra egimus in Mediolanensibus p. 629. Idem tituli leguntur in codice olim Peirescii, hodie Parisino Lat. 8957 f. 32. 33. 43—61 inter reliquias commentariorum de Insubriae magnificentia Hieronymi Borsierii (v. p. 630) sub hac inscriptione: 'Inscriptiones agri Novariensis collecte nobis a Carolo a Basilica Petri Novar. episcopo'; quae exempla licet non ex edito libro pendere videantur, et plenior hic est et emendatior exemplis Borsierianis etiam a librario passim corruptis, quae quamquam citavi, tamen propria utilitate carent. — Ipsa Gallerati sylloge egregia plane posteriores non ita ut par erat usi sunt. Adhibuit Galleratus Alciatinam syllogem scriptam et Gruteri corpus, quos auctores accurate indicavit; sed pleraque traxit ex ipsis saxis diligentissime neque imperite exceptis.

IV. Lazarus Augustinus COTTA cum plura ediderit, quae ad has partes illustrandas pertinent, adhibui adnotationes eius ad Dominici Macanei chorographiam lacus Verbanum, quam denuo edidit sub nomine

ficticio ('Verbanum lacus locorumque adiacentium chorographica descriptio a Stazio Trugo Catalauno litteris consignata in speciem commentarii ad lucubratiunculam Domenici Machanei editam a. 1499'. Mediolani 1699. 4. pp. 96) et librum inscriptum *museo Novaresi* (Mediolani 1701. 4. pp. 342), ubi p. 240—243 dedit supplementum ad Gallerati inscriptiones Novarienses. Alii commentarii eiusdem, ut *corografia o descrizione della riviera di S. Giulio* (Mediolani 1688), item *Visola di S. Giulio* (Mediolani 1693. 4; pars est quarti libri *della Corografia della Riviera*, quae tota non prodiit), mihi non profuerunt. Schedas Cottae quasdam Bruzza vidit Vercellis apud dominam Cristen; sed quae ab ipso habemus edita, scriptis hisce videntur praestare.

V. Ioh. Baptista BARTOLI canonicus Novariensis, qui vixit saec. XVIII medio, scriptam reliquit historiam Novariae servatam hodie Borgomaneri in bibliotheca Molliana. Ipsam non versavi, sed usi sunt ea Mollius et Devitius. Auctor videtur esse incertus neque optima fidei.

VI. Ex canonici RABBAGLIETTI schedis exhibitis sibi a sacerdote Octavio Ferrari quaedam excerpit Panigonius in collectaneorum volumine C p. 166. 167. Pertinent opinor ad saec. XVIII vergens (v. n. 5543).

VII. 'Antiqua Novariensium monumenta a Paulo Gallerato collecta et ab advocatione Carolo Antonio MOLLI Burgomanerensi aucta et observationibus illustrata' post annum 1788, quae descripta repperi inter Panigonii collectanea vol. C n. 8 p. 75—149, quaedam dederunt praeterea ignota.

VIII. Carolus Franciscus FRASCONI († 1836) quomodo museum lapidarium Novariense id quod hodie extat instituerit, ipsius verbis exponam (in cod. Bruzuae mox citando): *Ho indotto l'anno 1813 i sigg. fabbricieri di questa nostra cattedrale ad aprire nel Claustro della Canonica una specie di museo d'antiche lapidi a comodo de' letterati, unendovi a que' pochi monumenti Novaresi, che qualche anno pria avea io colà disposti, anche quelle lapidi, che esistevano in Novara ne' monisteri soppressi, perchè non andassero a perire, e quelle eziandio, che dato ci fosse di raccogliere nell' agro Novarese. La cosa riescì a seconda de' miei desiderj e molte are votive, sarcofagi ed altre lapidi altrove esistenti vennero ivi trasferite. La raccolta però si felicemente incominciata fu per certe emergenze interrotta, e restammo perciò privi di altre ventidue lapidi, tra le quali annoveravasi un bassorilievo in marmo rappresentante un sacrificio, che erano già state*